Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1003
Quelle:
Copyright:

T. III. p. 229. datur *Nicolao Claraev.* ponitque *Tandem* pro *Hodie. Fol.* 156. *De sancto Andrea.* Initium: *Ad quietum studium* &c. Legitur et in dicta *Biblioth.* et T. V. *Opp. Bernh. col.* 713. eidem *Nicolao* inscriptus. *Fol.* 159. p. 2. *De sancto Martino.* Initium: *Nobilis ille confessor* &c. Pariter ad *Nicolaum* relatus dictae *Biblioth.* T. *cit.* p. 219. Dixi jam, mirum esse, ipso *Bernhardi* seculo Scriptis ejus tot aliena misceri potuisse.

CCCCXXXII.

U. 81 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 371. 4. currente calamo perscriptus, et rubricis enotatus varia continet, quae hic enumerantur: I. *Epistola beati Bernhardi de originali peccato in conceptione sanctissime virginis Marie.* Initium: *Inter ecclesias Gallie constat profecto Lugdunensem hactenus preeminuisse* &c. Nota illa reprehensoria ad Canonicos *Lugdun.* Festum illibati Conceptus celebrantes, quae legitur in omnibus *Bernardi* Editionibus, et signate in *Mauriana Paris.* 1690. *Vol.* I. T. I. *col.* 169. *n.* CLXXIV.

II. *fol.* 2. *secuntur verba perspicacissimi doctoris Magistri Johannis de turri cremata.* Ineunt: *Ecce testimonium clarissimum, et tante auctoritatis, quod plane in hac re ipsum solum sufficere deberet pro determinatione questionis* &c. Videlicet de Conceptu Virginis. Respondet vero dictus Doctor, Magister Palatii et *Eugenii* IV. ad Synodum *Basil.* Orator, tum ab a. 1440. Cardinalis iis, quae piae Caussae Patroni adversus *Bernhardi* Epistolam illo tempore obmovebant. Non dubito *Verba* nostra excerpta esse ex ejus *Tractatu de veritate conceptionis Beatissimæ Virginis pro facienda relatione coram Patribus Concilii Basileensis anno Domini* 1437. &c. *Romae* edito 1547. 4. qui mihi ad manum non est. Sed nihil eum Patribus persuasisse, ex eorum Decreto *Sess.* XXXVI. a. 1439. liquet. Adi de eo *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 837.

III. *fol.* 12. praemisso Indice *Incipit biblia accurtata.* Conspectus omnium utriusque Foederis Librorum sacrorum, cujus indolem disces ex initio: *Genesis capitulum primum. In principio. de operibus sex dierum. 2. Igitur perfecti sunt. de sabbato. paradiso. legibus. nominibus. nuditate Adam et eue.* &c. Finis est: *excommunicat johannes addentem et subtrahentem. vocat Ihesum. Amen.*

IV. *fol.* 55. p. 2. *Incipit formula honeste vite quam sanctus martinus scripsit dumiensis ecclesie episcopus qui ab oriente venit. sweuos ab arriana impietate conuertit ad mironem regem.* Lege *Braccarensis* Ecclesiae; *Dumiensis* enim tantummodo Abbas fuit. Dixi de Libello Prudentiae, Fortitudinis, Temperantiae et Justitiae officia exponente *Vol.* I. P. 1. *col.* 584. Quo te, si lubet, refer.

V. *fol.* 60. *Incipiunt*, ut e *fol.* 187. p. 2. praeoccupandum est, *addiciones ad postillam Magistri Nico-*